

nomina sunt haec⁸⁾ Muszletewitz, Kupztitz, Konenwalde, Beyerstorp, Sprewenberc, Vrederichstorp⁹⁾, in quibus villis dixerunt ad nos iudicium pertinere. Super decimis quoque novalium circa villam Zlepe inter nos et dictum dominum episcopum est taliter ordinatum, quod quilibet mansus dabit domino episcopo et suis successoribus tempore census Budesinensis¹⁰⁾ monetae III denarios nomine decimarum. De decimis vero in Hogerswerde, quas vir nobilis dominus Hogerus de Vredeberc¹¹⁾ a memorata ecclesia et episcopis Misnensibus in pheodo tenuit, sic etiam est tractatum, ut nos et fratres nostri eundem episcopum et successores nunquam inpediamus¹²⁾, quin ei et suis successoribus sine diminutione modo debito persolvantur. De decima in Goreke, quae vacabat domino episcopo de morte duorum fratrum scilicet Reyhardi¹³⁾ et Hermanni, taliter etiam est tractatum, quod deinceps episcopo, qui pro tempore fuerit, sine impedimento integre persoluatur. Quicquid etiam est retentum de dictis decimis, dictus episcopus pro bono pacis et concordiae relaxavit. Quicquid etiam dampni et iniuriae per advocatos nostros praedicto episcopo et suae ecclesiae usque nunc est illatum, ad consolidandam amicitiam maiorem, quantum ad ipsum pertinet, ex mera relaxavit animi puritate. Nos quoque, si in aliquo turbati fuimus, relaxamus similiter puro corde. Hunc quoque tenorem ad praesens nostro sigillo mandavimus sigillari, volentes nihilominus procurare, ut ante mediam quadragesimam proxime nunc venturam nostro et fratrum nostrorum Ottonis et Conradi sigillis idem tenor transmittatur dicto episcopo sigillatus, qui videlicet episcopus tunc etiam nobis eundem tenorem sub suo sigillo et capituli sui transmittet in Budesin³⁾ sigillatum. Actum et datum in Budesin³⁾ anno domini M^o. CC^o. LXXII^o. in die beatae Agnetis praesentibus nobili viro comite Gunthero¹⁴⁾ de Lindowe, Bernhardo¹⁵⁾ de Wardenberc, Heinrico de Bardenleue¹⁶⁾, Johanne de Wstrowe, Heinrico¹⁷⁾ de Frisac, Johanne de Pollest, Theoderico de Wusterbusch¹⁸⁾ militibus nostris, item domino Bernhardo decano Misnensi et domino Sifrido praeposito Budesinensi, magistro Theoderico scolastico Misnensi, magistro Johanne Misnensi canonico, domino Bernhardo milite de Kamenz, Gunthero de Beurstein, Heinrico de Waldowe, Berwico¹⁹⁾ quondam avvocato in Budesin³⁾, Reynhardo de Temeritz, Friderico de Metzenrode, Bachmanno²⁰⁾ de Kazowe, Wilrico de Landesrone, Luthardo de Scriuerstorp, Heinrico²¹⁾ iuniore de Zcerin, Schaslao de Penzk²²⁾, Alberto de Porcitz, Heinrico filio domini Witegonis de Kamenz, Ottone de Polsnitz et quam pluribus aliis fide dignis²³⁾.

Nos quoque Otto et Conradus marchiones dei gratia Brandenburgenses, fratres supradicti Johannis marchionis, rata et grata habentes omnia supradicta per dictum fratrem nostrum ordinata in testimonium huius compositionis cum sigillo nostri fratris nostra sigilla similiter decrevimus apponenda²⁴⁾.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der drei Markgrafen an gelbseidenen Fäden. An der zweiten Ausfertigung im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden (B) befindet sich nur das beschädigte Siegel des Markgr. Johann an einem Pergamentstreifen.

Fehlerhaft und unvollständig Gercken cod. dipl. Brand IV. S. 554 und aus dem Copialbuche des K. Geh. Staatsarchivs zu Berlin no. 31 Riedel cod. dipl. Brand. II. Bd. I. S. 113. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 97.

8) haec sunt B. 9) Vrederikistorp B. 10) Budessinensis B. 11) Vredeberch B. 12) ut nos eundem episcopum et fratres nostri nec successores dicti episcopi inpediamus B. 13) Reynhardi B. 14) Guntero B. 15) Berhardo B. 16) Henrico de Bardenleue B. 17) Henrico B. 18) Wsterbusch B. 19) Berhardo decano Misnensi et Berhardo de Kamenz fratre suo, Guntero de Beuerstejn, Henrico de Waldowe, Beruyco B. 20) Temeriz, Friderico de Metzenrode, Zachmanno B. 21) Henrico B. 22) Schachlao de Pentz B. 23) Alberto de Porzic et aliis quam pluribus tam clericis et laycis fide dignis B. 24) der ganze Satz Nos quoque — apponenda fehlt in B.